

A tergo : Dilecto filio Thomae electo Feltensi, apud inclitum Dominium Venetiarum Nuncio nostro.

Tenor mandati caesarei. Carolus divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, rex Germaniae, Hispaniarum, utriusque Siciliae, Hierusalem etc., archidux Austriae, dux Burgundiae et Brabantis, etc.

Quum studia nostra consulendae quietis christianaem semper potissima fuerint, ob idque et publica commoda privatis nostris negotiis anteferenda censuerimus. Animadvententes hoc potissime tempore immanissimum turcum christianorum cervicibus terra ac mari insistere, qui quasi leo rugiens extra cirquens quaerit quem devoret, consipientes quoque quantum audaciae et temeritatis immanissimus ipse turcus assumpserit, dum christianus spargitur sanguis, ipsique christiani Principes et Potentatus inter se digladiantur, Nos etsi sine culpa nostra ad bellum provocati arma in christianos hostes nostros vertere coacti fuerimus; quae potius in ipsis infideles movere sperabamus; quamvis ob causae nostrae justiciam victores effecti vicitricia arma in hostium fautores licite dirigere potuissemus. Cupientes tamen huic communii christianorum necessitati occurrere, ac tanto morbo antidotum praestare, ut sedatis tandem domesticis discordiis christianorum arma melius in prophanus ipsos christianaee religionis hostes exerceri possint; sitque Respublica Veneta quae maximo semper adiumento ad hoc esse possit, et qua bene nobiscum consentiente afflictiae iam tot bellis Italiae aliquantum respirare liceat; ea propter confisi nos de singulari fide, industria et non vulgari prudenter reverendi Marini Caraccioli consiliarii nostri, quem hominem in magnifici Hieronimi Adurni consiliarii et oratoris nostri locum suffecimus, eumdem Marinum citra revocationem quorumeunque aliorum mandatorum nostrorum licet absensem tamquam praesentem facimus, constituimus et ordinamus per praesentes oratorem, procuratorem et mandatarium nostrum, ac quiequid eorum melius dici fieri et esse potest, ac cum eo pariter honorabilem consiliarium et oratorem nostrum apud illustre Dominium venetorum Alphonsum Sanchez et quenlibet eorum in solidum, ad specialiter et expresse pro nobis et nomine nostro, ac etiam quantum expediat nomine serenis simi Ferdinandi Infan-

tis Hispaniarum, archiducis Austriae etc., pro quo de rato promittimus, cum interventu tamen et assistentia alicuius ad id a Sanctissimo Domino Nostro mandatum habentis, ac reverendissimi Pacei oratoris Serenissimi fratris et avunculi nostri Angliae regis, si adhuc ibi fuerit ipsique interesse voluerint, agendum, tractandum, capitulandum et concludendum cum illustri sincere nobis dilecto Antonio Grimano Duce Venetiarum, ac illo illustre Dominio Veneto, quaecumque foedera pacis, seu ligae et confederationis tam offensiva quam defensiva, aut inducias cuiuscumque generis fuerint et sub quibusvis verborum formulis, conditionibus et capitulis eisdem oratoribus et mandatariis nostris bene visis, et pro omnium et singulorum praemissorum observatione in animam nostram iurandum ac bona nostra obbligandum et hypothecandum, et generaliter omnia alia et singula dicendum, tractandum, paciscedendum, convenientendum et concludendum, quae in praemissis et eorum quolibet vel inde dependentibus, emergentibus et connexis, necessaria vel opportuna visa fuerint, et quae nosmet dicere vel facere possemus si praesentes essemus, etiam si talia forent, quae mandatum exigerent magis speciale. Promittentes in fide et verbo caesareo nos ea omnia et singula firma, rata et grata habituros, quae in praemissis et circa ea, acta, tractata, conclusa et iurata fuerint, ac quovismodo non contravenire, imo ea inviolabiliter manuteneret et observare, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri appensione munitarum.

Datae in oppido nostro Vallis Oleti. Nona Mai, anno a nativitate Domini 1523, electionis sacri Imperii quinto, aliorum vero omnium regnorum nostrorum octavo.

Subscriptio manu sacratissimi Caesaris
CAROLUS.

Subscriptio secretarii :

Mandato Caesaris
G. ARGILLENSIS.

Henricus octavus, Dei gratia Angliae et Franciae rex, Fidei defensor, et dominus Hiberniae, universis ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem. Quum inter serenissimum principem fratrem et consanguineum nostrum Carolum imperatorem semper Augustum, regem Hispaniarum et utriusque Siciliae etc. archiducem Austriae, ducem